

Respondeo, stando terminis casus, negative. Ratio est, quia illa verba, Ast quia hic jam diu non amplius ad ipsum accessit, clare denotant, ipsummet Confessarium petivisse, ac obtinuisse hujusmodi facultatem pro certa, ac determinata persona. Jam vero communis est D. D. sententia, quod, quando facultas absolvendi ab aliquo reservata petita est, ac obtenta pro absolutione personae certae, ac determinatae, Confessarius tali facultate solum cum ea persona uti potest, pro cuius absolutione determinata eamdem obtinuit; quemadmodum enim si ideinmet Confessarius obtinueret facultatem à tali reservato absolvendi suum Pœnitentem, non posset uti tali facultate, faciendo ab eodem in specie peccato absolvere se ipsum, quia obtenta pro absolutione sui Pœnitentis, referunt ad personam diversam ab illa Confessarii; ita quando Confessarius eamdem facultatem petiit, ac obtinuit pro absolutione Pœnitentis certi, ac determinati, cum hoc solum eadem uti potest, cum hic solum is sit, qui tale reservatum ipsi exposuit in Confessione. Giribaldus de Sacram. Pœnit. cap. 16. dub. 3. num. 5.

CAS. II. Quis habet agrum, qui vacat semine, & frugibus, sed bene suapte natura producit herbam? Q. an si alter ibidem animalia sua pascatur, teneatur hujusmodi pascua recompensare ex justitia commutativa?

Respondeo affirm. Cum Covarrubia in Pract. Q. Q. cap. 37. si non intervenit Domini consensus. Ratio desumitur ex l. qua ratione de acquiren. Domin. & ex l. adeo §. fin. eod. tit. ubi habetur: *Herba sponte sua nascens in agro meo, mea est*: Ergo etiam sponte sua nascens in agro illius, de quo casus procedit, illius est; ac per consequens pascens animalia sua de tali herba sine Domini consensu, utpote ea pascens de re aliena, violat justitiam commutativam, non minus ac ille, qui semetipsum pascit cum alieno frumento. Hinc sicut iste per omnes tenetur compensare hujusmodi pastum ex justitia commutativa, quando semetipsum pavit frumento alieno, sine Domini consensu, seu Domino frumenti rationabiliter invito; ita ob eamdem rationem idem dici debet quoad pascua animalium in nostro casu. Accedit, herbam nascentem sponte sua in agro, esse hujus fructum naturalem, qui Domino agri debetur, non solum quando hic illum perceptisset, verum etiam quando ipse non fuisse illum percepturus; cum sit fructus rei, quæ Domino suo fructificat, & sic spectat ad eumdem, eo ipso, quod ex tali percipitur, ut recte tradit Giribaldus de Restit. cap. 2. dub. 5. num. 50. Ergo qui tali fructu pascit animalia sua, Domino non consentiente, facit injuriam Domino, violat jus huic competens ex justitia commutativa, ex qua proinde tenetur hujusmodi pascua recompensare: quidquid in contrarium dicant Joannes Faber, Cassanetus, & alii apud Covarrubiam l. c. & in parte Azorius Inst. Mor. par. 3. lib. 5. cap. 17. v. quarto queritur, vers. Haec duæ opinions.

CAS. III. Habet Colonus in suo agro Columbarium, ubi abundantier columbas suas pascit, hac tamen intentione, ut alienæ columbæ alterius Columbarii veniant ad suum, ac ibi nidificant, prout de facto contingit. Q. an possit id licite facere; an vero teneatur restituere pullos acceptos ex alienis columbis?

Respondeo, intentionem Coloni revera illicitam esse, immo & actionem ip-

ipsam ut tali intentione directam: hanc tamen non esse adeo malam, ut properterea Colonus teneatur restituere pullos acceptos ex alienis columbis. Ratio primæ partis facile colligitur ex eo, quod sit intentio damnificandi proximum; cum eo tendat, ut alienæ columbæ alterius columbarii veniant ad suum, ac ibi nidificant, prout de facto contingere exprimit casus. Ratio secundæ partis inferitur ex mox allata probatione primæ; nam semel ac ideo abundantier pascit columbas suas tali directa intentione, ac fine, jam malitia finis ac intentionis inficit actionem ipsam; nam bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu, prout fert vetus axioma. Ratio denique tertiae partis hæc est, quia, præscindendo ab illo malo fine, ac prava intentione, utitur iure suo, si abundantier suas columbas pascit; non enim malum est, optime suas columbas pascere: neque alienas columbas per hoc compellit venire ad suum columbarium; & si adveniunt, hoc ideo est, quia non ita bene, & forte admodum parce eisdem præbetur cibus in aliis Columbariis: unde fit, quod advenientes tamdiu morentur, ubi bene transtantur, ut consuetudinem amittere redeundi ad primum Columbarium, siveque transirent in dominium, ac proprietatem Domini secundi Columbarii. Intantum namque Dominus prioris Columbarii jam erat eorum Dominus, inquantum, ius ablata naturali libertate, illis in suam custodiam coercuit, ac detinebat: (animalia namque, cum sua gaudent naturali libertate, sunt primi occupantis. Instit. de rer. divis.) Statim ac autem ab uno ad aliud Columbarium se transtulerunt, ibique tamdiu morantur sunt, ut consuetudinem amiserint alio redeundi, pristinam censemur recuperare libertatem; (Inst. pariter de rer. divis. siveque evadunt sub custodia, & proprietate Domini secundi Columbarii, qui propterea, si ibi nidificant, non tenetur restituere pullos acceptos ex talibus columbis, alias alienis, nunc tamen suis. Nec obstat illa prava intentione, necnon illa occasio eis data adveniendi; nam transmissio, quod utraq[ue] mala fuerit, ideoque illicitam efficerit actionem; tamen, quia effectiva non est contra justitiam commutativam, sed solum contra charitatem, non obligat restituere pullos acceptos ex talibus columbis; ut videatur est Apud Azorium l. supracit. cap. 16. v. quinta difficultas, Bartholomaeum à S. Fausto in Spec. Confess. disp. 30. quæst. 18. num. 5: Bonacina, & alios;

ANNO MDCCCLX.

MENSE JANUARI.

CAS. I. N ovit Parochus suam Parochianam simul ac Pœnitentem impunemente illius amore flagrare, ipsumque solicitatae non erubuisse; at simul etiam novit, quod si pro Confessione, ac spirituali di-

rectione eam ad alium dimittit, in omne luxuriae cœnum ipsa facile prolabetur. Q. quid agendum à Parochio in isto casu? Resp. Parochum debere in primis fœminam graviter increpare de temeritate habita in ipso solicitando; deinde totis viribus curare, ut nulla impunita erga se amorem deponat, efficaciter ei ostendendo, ipsam esse in statu damnationis, eo usque indignam Sacramentorum, quo usque ita vixerit; denique opportuna eidem præscribere remedia orationis, mortificationis &c. ut resipiscat, & desinat insanire. Si noscat Parochus, se hisce mediis proficere, prosequitionemque directionis nec sibi, nec fœminæ afferre, spirituale documentum, debet in tali casu prosequi eam audire in Confessione, eamdemque dirigere; eo quia, cum tunc spes affulgeat illam tandem rediendi in semitam rectam, ex officio tenetur cooperari tali bono spirituas li sua Parochianæ, præcipue cum secus ea subsit periculo prolabendi in omne luxuriae cœnum, prout exprimitur in casu. E contra si Parochus animadvertis, omne medium, etiam magis aptum, cum ea adhibitum, ac plures repetitur, respectu ipstus esse inutile, ac inefficax; aut hujusce directionis prosequitionem impurum potius illius erga se amorem fovere, vel sibi esse spirituualiter noxiæ, aut periculosam, tunc dico, Parochum in primo casu posse, & in duobus aliis casibus teneri ad alium Parochianam dimittere, non obstante præfato periculo. Ratio primi est, quia statim ac Parochus morbit, ut dici solet, omnem lapidem, ut Parochianam ad bonam frugem reduceret, ast ipsa rectam viam scire non vult, redditque inutili omnem conatum, curamque Pastoris, hic satisficit muneri suo; nec culpabilis est, si dolens de illius pervicaci impenitentia, ac enixius eam Deo commendans, ipsam, ad alium dimittit; nam si perit, ipsius perditio ex ipsa est, quæ sequi noluit ducrum Pastoris, demum coacti dicere cum Angelis, depuratis ad curam Babylonis: *Cura timus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Ratio secundi est, quia in eo casu tenetur Parochus subrahere hujusmodi fomentum, ne ipse sit Parochianæ laqueus iniquitatis; unde si sua directio ea est, quæ fœminæ potius fomentum præbet impunita erga ipsum amoris, debet Parochus à tali directione desistere, ac fœminam ad alium dimittere; maxime cum sua directio sit fœminæ malum actuala, ac certum, dimissio vero ipsam relinquat soli periculo expositam: quod si ipsa vult, adjuvante Deo, potest etiam declinare. Ratio denique tertii, ac ultimi hæc est, quia ex ipsamet lege naturæ etiam Parochus prius tenetur prospicere saluti animæ suæ, quam alienæ: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* dicebat Christus Matth. 16. Ergo si dicta prosequitio directionis est animæ Parochi noxia, vel pericolosa, debet idem Parochus malum, seu periculum, exinde sibi resultans declinare, fœminam ad alium dimittendo, præfato fœminæ periculo non obstante; siquidem Parochus pro spirituali salute parochianorum tenetur quidem, si opus sit, periculo exponere propriam vitam corporalem; non sic tamen etiam spiritualem, ut erit ex allatis verbis Christi Domini. Neque dicas, Parochum posse confidere, quod sicut Deus haec tenus ipsum adjuvit, ne decideret, ita ipsum in posterum adjuvabio, ipse decidat; hæc enim omnia

nia pondéraverat etiam Doctor maximus, & tamen tum in Epistola ad Nepotianum, cum in Reg. Monach. cap. de Castit. clamabat: *Ne in præterita castitate confidas, quia nec Davide sanctior, nec Sampson fortior, nec Salomone potes esse sapientior;* cumque agatur de directione fœminæ, quæ, ut ex casu constat, Parochus ingerit non levè periculum, non video eum magna temeritas, ac Dei tentatio potius dici non debet ista fiducia; cum Deus ipse tot in locis Sacrae Scripturæ doceat nos, ut à periculis caveamus; lexque ipsa naturæ clare nobis insinuet, ut prius nobis, quam aliis propiciamus.

**CAS. II.** Titius ob incestum commissum cum suæ uxoris sorore, monitus à simplici Confessario, ut à petitione debiti abstineret, usquequo restitutum ei fuisset tale jus, interim debitum quidem hōn petiri, sed à tactibus impudicis non abstinuit. Q. an peccaverit.

Resp. cum distinctione. Vel fecit hujusmodi tactus, secluso ab utroque pollutionis periculo, & ad finem honestum, puta, ad contestandum, ac fovendum amorem conjugalem; & in hoc casu dico cum Sporet Theol. Mor. l. 3. p. 4. c. 2. sect. 3. Titium non peccasse, ne quidem venialiter. Vel fecit hujusmodi tactus cum præviso, saltē in aker utroque pollutionis periculo, aut ad finem moraliter malum; tunc dico, Titium peccasse in primo casu mortaliter; in secundo vero mortaliter, aut venialiter, juxta qualitatem finis, mortaliter, aut venialiter peccaminos. Ratio pr. partis est, quia præscriptum legis poenalis, cuiusmodi est privans conjugem incestuosum iure petendi debitum, ut pote odiosum, extendi non debet ultra id, de quo lex loquitur; sed stricte est interpretandum, juxta celebrem regulam juris: *Qdīa restringi, favores vero convivio ampliari.* Porro sacri Canones, conjugi incestuoso verantes petitum debitum, ab ipso petita, non autem de tactibus, de osculis, de amplexibus, &c. siquidem loquuntur expresse de debito conjugali, quod solvit per copulam, ut constat ex cap. *Tuæ fraternitati de eo, qui cogn. consan.* & cap. *Jordanæ eod. tit.* Ergo si Titius à copula abstinuit, ac meritis habuit tactus, nil sibi veritum exercuit; ac proinde si eosdem habuit, secluso ab utroque pollutionis periculo, & ad honestum finem, prout supra dictum est, ne quidem venialiter peccavit. Neque dicas, cui prohibitus est finis, prohibita esse etiam media ad eundem tendentia, & ordinata, juxta illam regulam Juris: *Cum quid prohibetur, omne id prohibitum censetur, & quo pervenitur ad illud,* It Oratio, ff. de Spons. Ideoque cum tactus ordinatur ad copulam, semel ac Tilio hæc verita erat, eidem veritosuisse etiam tactus, per quos proprieatæ peccavimus. Ne dicas, inquam, assumptum enim valer, quando id, quod est medium, adhibetur ut medium, ex intentione finis. Secus vero si est contra, quando nempe exercetur ut tactus, in qua operans sistit, vel si eam ad aliud ordinat, eam dirigit ad finem honestum, à prohibito omnino diversum; tunc hamque hujusmodi actio, si, ut taliter facta, non comprehenditur à legis præscriptio, operans non est hujus transgressor, ut explicari posset innumeris exemplis. Cum ergo tactus in ea resu factiā Tilio, ab eo facti non fuerint ex intentione copulæ, sed ad contestandum, ac fovendum amorem conjugalem, vel ad alium finem honestum,

tum; & ut sic facti non comprehendantur sub praescripto prefatae legis canonicae, ut supra probatum est; ideo, &c. Ne refert, quod fuerint cum affine, fuerunt namque cum coniuge, facta affine post matrimonii celebrationem; cuius affinitatis intuitu apposita est incestuoso pena non extendi debitum, non autem abstinendi etiam a tactibus; ad quos proinde non debet extendi. Ratio postea secundae partis, hecpe, quod Titius mortaliter peccaverit, si fecit hosce tactus cum praeviso periculo pollutionis saltem in alterutro, ex eo desumitur, quod se, vel alium voluntarie exponere periculo mollitiae, juxta sanæ doctrinæ Theologos, etiam in conjugibus, mortale est; cum mollities sit contra naturam, fine in primarium matrimonii, & castitatem conjungalem, ut recte tradunt Giribaldus de Marri. cap. 19, dub. 15, num. 105. Sporer. l. c. num. 498. & alii comm. Conjugium namque non dat jus ad illam, nec eam coherestat. At qui Titius in casu se, vel conjugem per hujusmodi tactus voluntariae expusisset periculo mollitiae, ut patet: ergo eosdem faciendo cum tali prævisione, peccavit mortaliter; idem enim fuit expresse in casu velle hosce tactus, ac velle tacite, & implicite prævisum periculum mollitiae, immo & ipsam mollitem, si secura est; quod ad mortale sufficit, cum quantum ad hoc taciti, & expressi eadem sit vis; & qui amat periculum, in illo pereat. Ne quis reponat, quod dabat operam rei licitæ; id enim nego, stante hoc periculo cum prohibitione attentionis copulæ; ut notat etiam Giribaldus. Quod demum peccaverit mortaliter, aut venialiter, juxta qualitatem finis, ordinando praefatos tactus ad finem moraliter malum, constat ex illa regula, communiter tradita in tract. de Actib. Hum. nempe, quod actus humani desumunt moralitatem etiam a fine; inde enim sequitur, quod si Titius fecit eosdem tactus ad finem mortaliter peccaminorum, per eos peccavit mortaliter; venialiter vero si eos fecit ad finem peccaminorum tantum venialiter.

**CAS. III.** Dedit Sempronius Cajo mandatum occidendi Maevium; eidemque consuluit, ut Antonium graviter verberaret. Utrumque præstittit Caju, sed coactus est damna compensare, quæ tum Antonius ex gravi verberatione, cum Maevii filii ex ejus occidente passi sunt; unde modo contendit, Sempronium teneri ad ipsum relevandum. Q. an iure.

Resp. quoad primam partem cum distinctione. Vel Caju occidit Maevium ex simplici mandato, vel ob pactam mercedem pro executione occisionis. Si primum; dico, ipsum iure prætendere, Sempronium teneri ad ipsum relevandum. Ratio est, quia licet in foro exteriori mandatum rei turpis sit nullum, & ex eo non oriatur actio, l. si remunerandi, §. rei turpis, ff. Mandati, & §. illud quoque Instit. Mand. tamen in foro conscientiae etiam ex mandato rei turpis tenetur mandans ad damna, ex eo, quantumvis nullo proxime sequuta etiam Mandatario; nullum siquidem damnum, in casu non acceptæ mercedis, mandatarius pati debet ex mandato, l. ex mandato, ff. mandat. maxime cum mandans fuerit causa primaria, & principalis omnium damnorum, ex mandato, ejusdemque executione sequentiam, quæ propterea ipse primo tenetur reficere, & compensare, utpote causa primaria, & principalis eorumdem; nam man-

datarius in hoc casu fuit causa mere executiva, ac ipsi deserviens; & ideo Caju jure contendit, Sempronium teneri ad ipsum relevandum. Si vero Caju id præstittit ob pactam mercedem; dico, immerito ipsum prætendere hujusmodi relevationem a Sempronio; siquidem stipendiati ad hoc stipendum accipiunt, ut delictum commitant, & pro eo committendo, quibuscumque periculis se exponunt: quæ propterea in ipsam constitutione stipendiis considerantur. Quare si inter eos non fuerit aliter conventum, in hoc casu irrationalis est Caji pretensio. Quantum postea ad sec. part. responsio negativa clare colligitur ex Can. Nullus de Reg. Jur. in 6. ubi Bonifacius VIII. ait: Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. Et ratio est, quia licet consulens malum, peccet; in malum positive, ac efficaciter influat; ideoque in defectu reflectionis factæ à consulto, mali parratore, ipse teneatur damnum reficere; tamen quia, hoc consilio non obstante, consultus remansit omnino liber ad hujusmodi consilium exequendum, & non exequendum; ideo hujus voluntati, & causalitati principaliter damnum imputatur: quod propterea teneatur ipse totum reficere, sine illo jure actionis contra consilientem, in ordine ad relevationem; cum consultus ex iniquitate sua non debeat actionem, & commodum reportare, ut cautum est in l. itaque Fullo, ff. de Furi. & voluntarie seme ipsum exposuerit compensationi damni, ex gravi verberatione Antonio causati per ipsum; a quo proinde non teneatur consulens ipsum relevare, cum ipsi, utpote volenti, ac consentienti, nulla ab eo facta fuerit injuria.

**MENS FEBRARII.**

**CAS. I.** Ontraxit Gneus sponsalia cum Berta impubere, quæ nunc facta pubes in illa non consentit, immo reclamat. Q. an Gneus ducre possit Bertæ sororem.

Resp. negative, supposito quod Berta tempore sponsalium jam esset septennis, & in hac deliberate consenserit; vel saltem eadem legitime ratificaverit completo septennio. Ratio est, quia in tali casu hujusmodi sponsalia valida fuere, induxeruntque impedimentum publicæ honestatis Gneum inter ac sororem Bertæ, ut clare colligitur ex cap. Litteras, cap. Accessit &c. de Desponsat. Impub. Neque enim ad id necesse est, quod etiam consentiat, & non reclamat, cum ad pubertatem pervenerit: hoc namque Jura non exigunt pro valore sponsalium jam initiorum, neque pro inductione impedimenti. Hinc si Berta ad pubertatem pervenit, reclamat, & vult ab hisce sponsalibus resilire, id quidem ab ea fieri licite potest, saltem si ea non firmavit juramento; at Gneus illius sororem ducre valide non potest, absque prævia dispensatione; quia, etiam dissolutis sponsalibus cum Berta, inter ipsum ac Bertæ sororem, datur impedimentum perpetuum: ut patet ex eo, quod si Berta, in etiam mortua fuisset, aut moriatur, neque tunc, absque dispensatione, Gneus ducre valide queat ejus sororem; vel aliam Bertæ consanguineam in primo gradu; ut definitum refert à Sancta Congregatione Fagnanus in cap. Ad

audientiam num. 29. de Sponsalibus, subdens, Aléxandrum VII. anno  
1658. declarasse, quoad hōc inhārendum esse S. Congregationis iudiciorū  
prout etiam refert Continuator Oper. Toournely de Dispersa. in spec. part.  
I. cap. 10. Addidi tamen sub initio responsionis illa verba: *Supposito quo Berta, &c.* eo quia si Berta contraxisset sponsalia nondum septennis, ea-  
que completo septennio non ratificasset; tunc probabilius ejus sponsalia  
cum Gneo invalida fuissent; nam Alexander III. in p̄fato cap. Accessit,  
loquens, non de infante in cunabulis, sed de puella absolute, ut constat  
ex Glossa ibid. expresse ait: *Desponsationes ante septem annos fieri non pos-  
sunt, si consensus postea non accedit*, & tunc ibidem, cum in cap. Litteras  
idem Pontifex perspicue inquit, non induci impedimentum per sponsalia  
contracta ante completum septennium, si eodem completo non ratificantur  
per consensum. Ex quibus infero ad rem nostram, quod si Berta inīsset  
sponsalia septennio non completo, eodemve completo illa non ratificasset;  
tunc inter Gneum, ac Beræ sororem non adesset impedimentum, sicque  
in isto casu ipsam dicere utique posset.

**CAS. II.** Non interrogatus Sejus de qualitate equi, assueti sese in aquam conficere, eumdem locavit Sempronio, causa transportandi merces in locum duodecim milliariis distarem. Evenit autem, quod per viam in flumen sese equus conjectit, magno cum mercium detimento. Q. an Sejus reneatur reficere damna Sempronio.

Resp. per sé loquendo, teneri, prout decisum habetur in l. Sed addes, §.  
si quis, ff. Locati, ac tradunt Giribaldus de Loc. & Cond. dub. 2. n. 121  
Bonacina, & alij comm. Ratio est, quia cum ageretur de defectu respecti-  
ve notabili, & ad finem intentum peccitoso, tenebatur ex se, etiam non  
interrogatus, hujusmodi defectum ex justitia manifestare, monendo con-  
ductorem de tali vitio equi; & non monendo, evincitur voluisse causare  
damnum inde subsecutum per mercium detrimentum: quod proinde ipse  
tenerit Sempronio reficere: Sicut in materia restitutionis dicitur de *muto*,  
qui poterat, ac ex justitia tenebatur clamare ad impediendum damnum, &  
non clamavit; ideoque damnum evenit: ad cuius propterea refectionem  
communiter obligatus adjudicatur. Dixi nihilominus in responsione, Sejum  
teneri reficere damna Sempronio *per se loquendo*, eo quia per accidens, pot-  
test, saltem in foro conscientiae, à tali onere excusari. Etenim excusatur pri-  
mo, si, quando locavit equum, & ipse ignorabat tale vitium ejusdem;  
unde equum tradidit conductori bona fide, in hoc enim casu eximitur ab  
obligatione refectionis, quia non fuit in culpa: immo iuxta Bartholomaeum  
à S. Faust. de Loc. & Cond. quæst. 25. n. 2. potest in hoc casu adhuc exi-  
gere mercedem, & conductor hanc ipsi solvere tenetur. Secundo, neque te-  
netur reficere damna in foro conscientiae, si omisit conductorem monere ex  
vera naturali irreflexione, ac positiva oblivione, & inadvertentia; eo quia  
etiam in tali casu omissione monitionis non fuit culpabilis. Tertio, si con-  
ductor eidem dixit, quod esset translaturus merces in montana, vel ad alium  
locum, ad quem transeundum non erat per aquam, sed hic alio perirexit,  
tunc enim conductor sibi imputare debet damnum secutum, & Locatori  
solvere mercedem. Vide laudatum à S. Faust. l. c.

CAS. III. Rusticus nobilis in loco Dicecesis consultit Parochum, an satisfaciat propriæ conscientiæ, si filio spurio, quem ipse habuit ex damnato contu, relinquat pura alimenta necessaria ad ejus vitam. Quid respondet Parochus.

Respondet, ipsum sic propriæ conscientiæ probabilius non satisfacere, sup-  
posito, quod istud relictum non sit secundum quod ei suppetunt facultates.  
Ratio desumitur ex cap. *Cum haberet de eo qui dux.* in *Mat.* ubi Clemens  
III. loquens de ministrandis à parentibus filiis ex adulterio genitis, in fine  
sic scribit cuidam Episcopo: *Solicitudinis tuae intererit, ut uterque (i. pater  
nempe, & mater) liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessa-  
ria subministret.* En quod Pontifex hisce ministranda à parentibus non res-  
tringit ad pura alimenta, iis necessaria ad vitam: sed ea definiri mensuranda  
secundum patentum facultates. Ergo si facultates nobilis, uti supponitur;  
tales sint, ut secundum hanc mensuram spurio quid plus sit reliquendum,  
ille non satisfacit propriæ conscientiæ isti, relinquendo pura alimenta, ne-  
cessaria ad ejus vitam. Nec opponas, textum dicere *Necessaria subministret,*  
& illud in re qualibet dici necessarium, sine quo res nequit consistere; unde in casu venire pura alimenta necessaria ad vitam. Contra enim: textus  
non dicit, præcise *necessaria subministret;* sed *secundum quod eis suppetunt fa-  
cilitates:* per hoc volens innuere, quod si ultra ea, quæ sunt simpliciter, &  
ad vitam necessaria, ferant facultates, ut eisdem ministrentur etiam quæ ne-  
cessaria sunt ad bene, & commode vivendum, hæc à parentibus iis quoque  
ministrentur. Et hæc textus intelligentia non solum eruitur ex ipsius  
verbis relatis, verum etiam colligitur ex eo, quod in jure non dicimur posse  
aliquid facere, nisi commode illud facere possimus, l. *Nepos Proculo*, ff.  
de *Verbo* sig. & etiam alibi. Accedit, naturali quoque pietati congruere, quod  
cum valde amplæ, ac pingues suppetunt parentibus facultates, etiam spuris  
relinquatur, unde convenienter vivant; siquidem omnes filii à Deo, & na-  
tura æquales sunt, ac ex mero humano invento posita est inter legitimos, &  
illegitimos differentia, & inæqualitas; immo licet spurius, jure humano  
non patrem, sed matrem sequatur, ne sit paternæ gloriae, ac nobilitatis par-  
ticeps, l. cum legitime, ff. de stat. hom. sed in rigore quoad hoc pat sit con-  
ditio spurii, illustri parte procreati, & ejus, qui ex plebeo; l. si spurius, ff.  
de cognat. usu ramen inductum est, quod majorum splendor, & natura  
aliquid honoris etiam spurio tribuant, ut experientia compertum est. Sic-  
que attenta hac consuetudine, est paternæ pietati consonum, quod nobilis  
in casu, ultra alimenta necessaria ad vitam, filio spurio relinquat, quo con-  
gruenter vivat. Et de facto S. Pius V. tam in Const. *Quæ ordini*, quam in  
alia *Ad Romanum spectat*, prohibuit quidem Clericis, filios suos spurios  
hæredes instituere de bonis adquisitis ex fructibus sui Beneficii Ecclesiasti-  
ci; at eisdem non veruit congruam sustentationem, & filiabus congrua-  
brem etiam testamento exinde relinquere. Vide Girib. in 4. Dec. præcept.  
cap. 1. dub. 5. & 6. per tot. non certiores scilicet universitatis, prius testem  
in eccl., non optineat illi interstitialis locutione subscriptio. Ratio postea  
sec. b. 1. est. quod non solum filiorum spoliacionis condicione testem  
alio*la* concessitas in gocci, se de communis testem. Benedictus XIX.

MENSE MARTII.  
CAS. I. **Q**uis videt domum vicini diripi, & tacet, nec impedit damnum, quod ceteroquin commode posset impedire. Q. an teneatur ad ullam restitutionem?

Resp. cum dist. Vel hic ex iis est, qui ex officio, ac per consequens ex iustitia tenentur impedire hujusmodi damnum: Vel non. Si primum, dico, ipsum teneri ad integrum refectionem damni, & adaequatam vicino restitutionem; suo namque pernitioso silentio censemur in casu injusta causa totius damni, eidem illati; quandoquidem iustitia ipsum adigebat in tali casu non tacere, & damnum vociferando impedire; cum casus exprimat, quod istud impedire commode posset. Unde direptore non restituente, tenetur ipse pro suo posse ad integrum restitutionem. Accedit quod tacendo in hac circumspectantia, censemur, in damnum implicite, ac tacite consensisse. Jam vero scientem, ac consentientem per poena constringit, Can. Notum 2. quæst. 1. & reus est furii, qui furii conscius, possessore querente, non indicat, cap. Qui cum fure de Fur. Si secundum, dico, ipsum non teneri ad ullam restitutionem. Ex quo enim tacendo non impediverit damnum, quod ceteroquin impedire commode poterat, infertur quidem, quod peccaverit contra charitatem, obligantem ad impediendum proximi damnum, cum id commode fieri potest: at non inferiur, quod peccaverit etiam contra iustitiam commutativam, ex cuius sola lassione inducitur obligatio restitutionis, ut cum Di Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 7. ad 3. tradunt DD. comm. idem asserentes etiamsi quis in hoc secundo casu tacuisset ex odio, invidia, aut alia passione; siquidem malevolentia cordis ex se non inducit obligationem restitutionis, bene vero violatio iustitiae commutativæ.

CAS. II. Confessarius dubitans, an pœnitens sit satis dispositus, ipsum absolvit sub conditione, si es capax. Q. an bene? Resp. cum dist. Vel urget necessitas statim absolvendi hujusmodi Pœnitentem, puta, quia ægrotat in extremis, ac est periculum in mora, & tunc dico, Confessarium bene sic illum absolvere. Vel nulla urget necessitas pro eo tunc eundem absolvendi, & in hoc casu dico, Confessarium male sic illum absolvere. Ratio pri part. est, quia statim ac urget necessitas illico absolvendi Pœnitentem, simul etiam emergit urgens motivum eidem statim succurrenti eo meliori modo, quo in tali circumstantia id fieri potest. Cum ergo Confessarius prudenter dubitans, an Pœnitens sit satis dispositus, nequeat hunc absolvete absolute, ne Sacramentum exponat periculo nullitatis (nullum siquidem esset, si revera illi decesset aliqua essentialis dispositio) hinc sit, quod bene se gerat illum absolvendo sub præfata conditione. Vel etenim Pœnitens hac in circumstantia vere est rite dispositus, & tunc, cum Confessarius intendat in hac hypothesi ipsum absolvere, conficitur Sacramentum & sic ille remanet absolutus. Vel non est dispositus quantum satis est ad valorem Sacramenti, & tunc, quia Confessarius per conditionem appositam intendit non confidere Sacramentum, hujus reverentiae cautum est, ac nihil positum in esse, non obstante illa materiali prolatione absolutionis. Ratio postea sec. par. est, quia ad usum licitum absolutionis conditionatæ requiritur aliqua necessitas; ut docet, ac de communi testatur Benedictus XIV. de

Syn.

Syn. Dicec. lib. 7. cap. 15. hac enim seclusa, velle absolvere sub conditio-  
ne, est aperte recedere à consueto, & antiquissimo usu, ac praxi totius Ecclesiæ; proindeque illicitum. Moneo hic tamen, quod, licet Confessarius prudenter dubitans de sufficienti Pœnitentis dispositione, debeat extra casum necessitatis differre Absolutionem, usquequo ipsi constet de sufficien-  
ti dispositione; nihilominus ut licite absolvat, ipsi necessaria non est certi-  
tudo infallibilis; nam secus vix ullus posset absolviri, ut cum Suarez recte  
advertisit de Ligorio lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 2. num. 461. cum quæ-  
cumque signa Pœnitentium non præsentent nisi probabilitatem dispositionis.  
Illi ergo satis est, ut absolute possit Pœnitentem absolvere, quod hic ei  
præbeat fundamentum efformandi prudens judicium probable de sui dis-  
positione sufficienti; cum enim materia prudentiae sint singularia contingencia,  
circa quæ sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse,  
quod omnino sollicitudo tollatur, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 47. art. 9. ad  
2. quemadmodum nec in Pœnitente tanta requiritur dispositio, ut major,  
seu intensor in eo esse non possit, ut alibi monuimus, & colligitur ex Ca-  
techismo Romano de Pœnit. num. 60. dicente: Si audita Confessione (Sacer-  
dos) judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis  
dolorem Pœnitenti omnino desuisse, absolviri poterit.

CAS. III. Orta est non levis contentio inter duos Confessarios, affirmante uno, damnatam esse modo sententiam dicentium, quod dispensatus à car-  
nibus in Quadragesima possit sero cœnare, id vero alio negantie. Cuinam  
ratio adjudicanda?

Resp. haec tenus esse adjudicandam neganti: quamvis enim à Benedicto  
Papa XIV. pro tali tempore, aliisque Vigiliis de præcepto infra annum vetita  
sit promiscua comedio epularum, & ab eodem præceptum legatur Episco-  
pis, eorumque Delegatis, ne ulli indulgeant diebus Quadragesimæ, valetu-  
dinis causa, carnibus vesci, nisi adjecta lege religiose servandi alteram je-  
junii partem, quæ consistit in unica comedione; tamen damnata ab eo non le-  
gitur, neque haec tenus ab ejus Successore Clemente Papa XIII. fel. regn. opini-  
o asserentium, dispensatos posse sero cœnare. Quinimo ipsemet Benedictus XIV. in sua Constit. Cognovimus, quæ est 55. tom. 1. sui Bullarii, respon-  
dens postulato Archiepiscopi Valentiae super hoc, expresse declaravit, in  
Constitutionibus super jejunio editis mente suam non fuisse definire, an  
qui Ecclesiastica auctoritate à jejunio excusantur, non solum vetitis cibis  
uti, sed jussæ pariter vespertinae abstinentiae fines egredi queant; bene vero  
præcipere Episcopis, eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque  
cibus vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicæ comes-  
tionis norma. Enformalia verba præfatae Constitutionis, editæ die 12. Maii  
1742. Laudavimus Pastoralem sollicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter  
aliquos tuæ Dœcesis disputationem de sensu litterarum nostrarum, quibus quo-  
pacito ecclesiastici jejunii lex observanda aut solvenda sit, constituimus. Responde-  
mus igitur postulato tuo, Nos in iisdem litteris destinendum non suscepisse, an qui  
ecclesiastica auctoritate à jejunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed  
jussæ pariter vespertinae abstinentiae fines egredi queant. Præcipimus autem Epis-  
copis, eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibus vetitis ve-  
niam

Tu